

nec ab iis summam perniciem propulsant, nisi medicamentum, humores biliosos meros citissime efficacia sua evacuans, iis auxilietur (b). Attamen inter dies judicatorias adhibitum, pridie, quando jam vis febris debilis est, post mediam atram noctem, quando etiam humorum crudorum concoctiones jam factae sunt: at vero ante diem sextum numquam, neque post decimum tertium; tali enim modo miseris aegris auxiliatur & perniciem celeriter arcet. Humores enim biliosos subducit, qui semitertianae sunt causae perniciosae, nec tamen eos crudos, nec denique putridos; tales enim certe nocuissent.

5. 10. Ab hac igitur valide domitus molestias patiebar, undecimque dies in lecto jacebam, vulneribus & morbo graviter afflictus, funeste quotidie animum spirans; anima vero ad orcum adspiciebat. Verum vulneribus & tumoribus magnum auxilium vis febris attulit: uti enim torrens inundans dum e montis cacuminibus descendit, celerrime deorsum fertur; ligna vero arida, et una cum limo lapides ducit; nihil vero stabile ante eum fluentem manet, sed cum eo strepente omnia celeriter volutantur: sic vis febris tum nimia sangvinem atrum, grumosum, atque extravasatum, qui in percussio- nibus fuerat,

---

(b) Id. ib. pag. 24. sequ.